

Quare v. 29 « interrogate quemlibet de viatoribus et haec eadem illum intelligere cognoscetis »; — non sine emphasi quadam in hebr. *annon praetereuntes viam interrogastis et signa* (indicia) *eorum non cognoscistis?* i. e. ii qui multorum hominum terrarumque mores explorarunt et utpote alienigenae non partium studio in me tenentur, vobis testantur, ita rem se habere, uti dixi. *Signa* i. e. exempla, documenta, argumenta, quibus ex omni terrae parte comprobare ea possunt, quae iam proponit, si quidem ex communi opinione vertimus hebr. *quia diei exitii subducitur malus et in die indignationum educuntur* ¹ (eruntur, liberi et servati egrediuntur; cf. *Malv. VII. Cod. Vav. Caiet. W. Zsch. Hirz. Del. etc.*) i. e. a calamitatibus communibus improbos immunes esse, et minime tangi pervulgatum est et omnium terrarum experientia comprobatur ².

In eundem sensum forte trahi potest, quod habet *vulg.* v. 30 « *quia in diem perditionis servatur malus et ad diem furoris ducetur* »; — si scil. *vulg.* proprietatem attenderis, quae non uno in loco apparet, in cum accus. poni pro casu ablativo et vice versa ³.

At quominus hanc expositionem plane certam reputeum cum ple-risque, impediatur phrasi eadem 38, 23 *הַשְׂכֵּתִי לַיָּמִים* i. e. reservavi in tempus, in diem = pro die et versu statim sequenti 32; ita etiam ⁴ graecum *εἰς* (cf. *OL.*), latinum *in diem* intelligendum esse videtur. Quod si probaveris, sententia v. 30 enuntiata aut cum ironia vel interrogationis voce est legenda (cf. v. 16), aut supplendum erit ex v. 28 *dicitis* et ex interlocutorum mente sententia repetita est, quae statim denuo (v. 31 et seq.) confoditur.

Pergit enim Iobus sortem depingere impii, qui tam prospero fortunae flatu utatur, ut nemo eum arguere audeat (*Cord.*), sed ut ipsum eius funus honorifica pompa deducatur, ut eius memoria sit admirationi. Dicit enim v. 31 « *quis arguet coram eo viam eius et quae fecit, quis reddet illi* »? — optime tangit, quae inter homines accidere solent; quotus quisque est, qui flagitia *potentium* valeat vel audeat

1. Vel, quod alii vertere malunt: in die, quo indignationum fluctus adducuntur; verum *הַשְׂכֵּתִי* est *salvare*, pompa deduci Is. 33, 12.

2. El revera *הַשְׂכֵּתִי* potest significare in die, cf. Gen. 21, 2; 49, 27. Is. 40, 3 (*quid facietis in die visitationis*); *הַשְׂכֵּתִי* est *parcere*, cf. Ps. 19, 14; Gen. 22, 12, 16. Atque haec explicatio, cui etiam *Aquila* interpretatio *ἐπιείκεια* (apud *OL.*) suffragatur, a contextu minime est aliena et *vet. lat.* comprobatur: « quia in die perditionis salvatur malus ».

3. Cf. Ioan. 1, 43. Is. 7, 11; Iudith 8, 13; Act. 5, 25. — *Kauten*, Handbuch z. Vulg. p. 207 — et saepius in versione N. T., praesertim in epistolis Paulinis.

4. De *Chald.* et *Syro* non audeo certam pronuntiare sententiam, quamvis *הַ* in hanc secundam potius inclinare videatur. *Le Hir* vertit: l'impie est réservée pour le jour de la ruine.

reprehendere, in faciem eius viam ipsius indicare i. e. obicere, palam castigare (hebr.)? vel quis ei debitam poenam facinorum rependet? Latius exsequitur Iobus, quod supra dixerat: terra data est in manus impii (9, 24), et hanc honoris significationem immo et funeri eius et sepulchro obtinere; v. 32 « ipse ad sepulchra ducetur et in congerie mortuorum vigilabit »; — bene *Men.*: « ingenti propinquorum, amicorum, clientum turba comitatus... vigilabit nobili sepulchro inclusus, epitaphio laudatus, addita etiam fortasse tantum non viva ac spirante defuncti statua marmorea aut aerea, quae omnia defunctorum memoriam intereidere non patiuntur, et cum exstincti sint, eos tamen viventes ac vigilantes nobis exhibent » (sim. *Pin. Malv. Calm. Hirz. W. Del. P. Zsch.*). Ita refutat, quod *Baldad* asseruerat 18, 17 impii memoriam esse perituram; impio talem fortunam obtinere affirmat, qualem pio assignaverat *Eliphaz* (3, 26) immo maiorem; minime vero calamitates illas, quas vaticinati sunt amici (cf. 8, 22; 11, 20; 13, 32; 18, 19; 20, 3 et seq.); honorari eius memoriam, superbo commendari mausoleo, ita ut inter ipsos mortuos emineat, ut non tam mortuus quam post ipsam mortem *vigilare*, sui memoriam commendare et hominibus adesse videatur.

Hebr. *הַשְׂכֵּתִי* 3, 26 de frugum acervo dicitur; quare hic quoque aliqui ad illum locum alludi censent interpretari conantes: matura morte, seu manipulum in aream, inferri in sepulchrum (cf. *Cod. Vav. Calm.*); sed communius et melius *tumulum, collem sepulchralem* exponunt; alii quidem plerique, ut ipse mortuus dicatur vigilare, *Hitz.* vero: tumulo invigilabitur, ne qua corpori iniuria fiat; at hoc sane frigidius, ne dicam ab arte poetica et viva illa prosopopoeia alienissimum.

Hanc cum ipso sepulchro inunctam impii fortunam magis depingit v. 33 in hebr.: *dulcescunt et glebae vallis et post se omnem hominem trahit, et ante ipsam non (est) numerus* i. e. valet pro ipso illud veterum « sit tibi terra levis », suaviter in sepulchro quiescit (cf. *Vav. Cord. Sa. Malv. W. etc.*); habet et trahit post se admiratores multos (*W. Hitz.*), vel potius: habet et trahit post se imitatores multos, sicut ante ipsum iam multi improbi existerunt, qui eadem usi sint fortuna hisce in terris, vel aliis verbis: talia frequentissime et iam acciderunt et in posterum evenient ¹. Plerumque *הַשְׂכֵּתִי* intransitive explicant: *post eum omnes longo agmine*

ingrediuntur (cf. *Malv. W. Hirz. Del. Zsch. P. Hitz. Le Hir*) idque Ex. 12, 21. Iud. 4, 6; 5, 14; 20, 37 confirmari potest et apud *LXX* et *vet. lat.* cernitur: « et post eum omnis homo sequitur » (*ἀπλῶς*) et in versione *syri.* exprimitur. Si vocem active sumas, habes, quod Ps. 72, 10 innotuit: prosperitate impii alios seduci, ut in scelere demum felicitatem capere velint; idque, cum impii vim quandam et auctoritatem describat, magis ad sermonis contextum esse videtur, quippe qui Iobus in eo est, ut quantopere valeat improbus, ad oculos demonstrat. *S. Hier.* *הַשְׂכֵּתִי* inferorum fluvium exponens liberius vertit.

1. Verba fere dicitur: so ging es und geht es noch heute.

Immo in ipsa mortis regione non caret felicitate; nonne talis fuit et erit impiorum sors? v. 33 « *dulcis fuit glareis Cocyti et post se omnem hominem trahit et ante se innumerabiles* »; — i. e. benigne ac comiter excipitur impius mortuus in mortis regione (cf. *Pin. Var. Mar. Men.*) vel, ut *Cord.* explicat: « optime convenit ei cum sepulchro, nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter ac suaviter quiescit... vel certe significat, impium dulcem ac gratum esse ac placere illi regioni, quae figurate *glarea Cocyti* appellatur ». Ita scil. impium felicitate in ipso sepulchro non destituit Iobus contendit. LXX et *vet. lat.*: « dulces ei fuerunt lapides torrentis » et bene *Calm.* advertit: « Iobus qui in hoc libro nihil non anima et sensu donat, lapidibus quendam officii et obsequii sensum erga cadaver divitis tribuit; mitescunt quodammodo lapides, ut mollius cadaver cubet ».

Cum talis deprehendatur impii fortuna, Iobus prostratis amicorum argumentis merito concludit hoc quasi epiphonemate v. 34 « *quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati* »? — i. e. vanis promissionibus cum consolantur, dum resipiscenti bona pollicentur ei, qui sibi pietatis constanter servatae conscius est; et quod responsiones illorum attinet, *superest praecavari catio* (hebr.) i. e. convictae sunt mendacii, falsae doctrinae, pietatis et fidelitatis laesae, quia innocentem tamquam scelestum traducunt et hisce in terris sua virtuti praemia, castigationes sceleris ad amussim respondere pertinaciter affirmant (cf. *S. Thom. Malv. Pin. Cord. W.*). Iobus secundum cum amicis congressum acerba accusatione concludit: tantum abesse, ut consolationem ei afferant, ut perfidiam in eum malitiose committant et fraudem *בְּקִל*, cf. *Ios. 22, 16. 31. 2 Chron. 29, 19* etc.

TERTIUS DISPUTANTIUM CONGRESSUS

(CAP. 22-26).

I. DISCEPTATIO CUM ELIPHAZ. CAP. 22-24.

1. SERMO AD ELIPHAZ HABITUS. CAP. 22.

Arg. — Iobus *experientiam* testem invocaverat. Eliphaz e contra denuo rem *a priore* definire studet: Deum nulla sui utilitate, nullo incommodi timore in rerum administratione tangi; proinde illum ex una iustitiae norma poenas infligere, i. e. non punire nisi scelera (21, 2-5). Quare scelera in Iobo adesse contendit et varia eorum genera, quae Iobus admisit, recenset: hisce dignas eum poenas luere (22, 6-11). Haec negari non posse, nisi ab eo, qui divinam rerum administrationem neget et impietatem priscorum sceleratorum induerit, quos tamen iustum Dei iudicium abstulerit (22, 12-20). Demum monet, ut resipiscat additis magnificis poenitentiae et ad Deum reditus promissionibus (22, 21-30).

Disputationis *progressus* in eo elucet; 1° quia Eliphaz suam de reparatione doctrinam exclusis aliis causis, quibus Deus in agendo duci possit, quasi a priore probare conatur; 2° quia iam *certa* crimina ac *determinata* Iobo impingit; ita et accusationes priores auget et maiore acerbitate Iobi animum pungit; 3° quia vindictae divinae in impios exercitae *exemplo* prolato assertionem Iobi confodere studet.

a) Deum non tangi commodo vel incommodo 22, 2-5.

Interrogationibus positus Eliphaz ostendere conatur, cur homo miseris affligatur, non posse repeti nisi ex divina iustitia, ex peccatis hominis. In v. 2 discrimen inter hebr. et lat. ex interpretatione vocis *בְּקִל* declaratur, de qua cf. 15, 2. Est enim in hebr. *num Deo proderit vir?* sane sibi proderit intelligens (cf. *Mar. Malv. Cod. Var. Calm. W.* etc.)! i. e. qui agit tamquam homo sapiens, prudens, pius (nam uti peccatum est *stultitia* in sacris literis, ita vera *sapientia* pietas censetur), sibi ipsi utilitatem affert, non Deo.